



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 11. 12. 13. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

terdum eisdem scriptores aut superflua quedam tra-
dere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem
temporis in historia turbare, aut quædam ex V. T.
minus appositè citare, &c. non obscurè scribit? Pro-
multis sic vult ille locus in 1. Ioan. 2. 14. Vbi dicitur
ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his
scilicet verbis: scribo vobis pueri. Sed vt Calvinum
hic omittamus, quid de Francisco Lumo videtur? qui
in locis communibus recentè hic impressis, lib. cap.
19 non veretur affirmare: Scriptores noui testamen-
ti aliquando scientes, præter veritatem historiarum quæ-
dam scripsisse, sicutim aperit scribit pag. 61. & 62.
Eos interdum recepto errori aliquid ex caritate con-
donasse, & propter opinionem publicam à veritate
historiarum deflexisse, adeoque præter veritatem quædam
sacro textui inseruisse. Plura id genus exempla ex
Doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione ad-
ferri poterunt.]

S. 4. Probabile est, verba quæ citat Euangelista
ex Jeremia Prophetia desumpta esse. Vel aliquæ
quæ intetijt, olim tamen nota sunt, vel quæ scripta
non sunt, sed traditione nota. Nec dubium est in
lamentationibus super Iosiam multa de Christo fuisse
prophetata, quæ olim notissima, nunc interierunt.
2. Par. 35. 24. Et vniversus Iuda & Ierusalem luxerunt
cum, Ieremias maximè: cuius omnes cantores, atq; canta-
trices vsq; in præsentem diem, lamentationes super Iosiam re-
plicant, & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fer-
uit in lamentationibus. Quin & alia fuerunt à Jeremia
scripta, vt constat ex 2. Maccab. cap. 2. 1. Vbi agitur
de descriptionibus Jeremia, & historia narratur. Mul-
ta prophetasse eum, quæ non sunt scripta, ex varijs
locis constat, vt cap. 20. 8 & 25. 3. à tertio decimo
anno Iosia factus est sermo ad Ieremiam, & scripta
tamen non sunt, nisi quæ à diebus Iosia regis Iuda
sunt gesta, cap. 1. 3. & cap. 30. 2. omnia verba in li-
bro scribere iubetur, quæ Dominus ad eum locutus,
at illa quæ tempore Iosia prophetavit, scripta non
sunt.

Deinde duplex volumen, quod cap. 36. ex ore Ie-
remie Baruch descripsit, non exstat. Nam qui ex-
stat, eius aliud est argumentum, & lectus est Baby-
lone, non Ierosolymis, vt est Baruch, cap. 1. v. 2. Non
mirum ergo si hæc in Jeremia libris fuerant, qui nunc
desiderantur.

Enuncit hoc ipsum auctoritas veterum. Nam tem-
pore Tertulliani, Origenis, Hieronymi lectio illa vsi-
tata fuit. Tertullianus l. 4. contra Marcionem, quasi
certo Jeremiam citat, cap. 40. Nam & quantitatem,
& exitum precij postea Iuda penitente reuocati, & in empti-
onem dati agri figuli, sicut in Euangelio Matthæi continetur,
Hieremias præcavit. Cum vero illo tempore ita vsitata
fuerit illa lectio vt nemo eam, nisi quidam audaci im-
perientia, apud Augustinum sustulerit, ne nunc qui-
dem mutanda videtur.

Nec tamen aliorum, vt Iansenij in Concord. c. 111.
Ruperti damno interpretationem, qui vel nomen
Prophetæ omittendum, vt sit in Syro, vel posiro
Zachariæ nomine corrigendum censent. Sed hanc
vt dixi veritiorem existimo, quæ in omnibus libris
nunc legitur. Et quam nemo mutare prudens aus-
sus est.

QUESTIO II.

Quomodo Prophetia Zachariæ conueniat cum
verbis Euangelistæ?

Conciliatio S. 1. **N**on est necessaria nobis illa Zachariæ, &
Matthæi conciliatio, cum ex Jeremiæ feri-

ptis, quæ superesse ad nostra tempora Deus noluit, &
testimonium sumptum dicamus. Si tamen ad Zachari-
chiam referre cupiam lubeat, aliquod discrimen
inter Prophetæ verba, septuaginta interpretes, Euan-
gelistam reperiet. Prophetæ verba ita habent c. 1. 12.
Et dixit ad eos: si bonum est in oculis vestris, afferite mercedem
meam; & si non, qui scitis. Et appenderunt mercedem meam
triginta a gentros, & dixit Dominus ad me: Præ g. e illud ad
statuatum, decorum precium, quo appretiatum sum ab eis.
Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Do-
mini ad statuatum. Ita habent Hebræa ad verbum.
Vbi in Hebræo עֶרְכִּי est fictor, figulus, statuarius.
Potest & veteri Thesaurarius. Decorum precium est. עֶרְכִּי
Eder h. iker, Deus precij, vel magnificæ entis, gloria.
At 70. interpretes καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς; ἐκ καὶ οὐκ ἐ-
κτον ὡς ἐστὶν ἐστὶν. δότε τὸν μισθὸν μὲν, ἡ ἀπαιτούμενη καὶ
ἐστὶν αὐτοῖς. καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐκ τῶν χαλκῶν τῶν
ἐκτον, καὶ ἔλαβον τὰς τετρακοντὰ ἀργύρας, καὶ ἔδωκεν
αὐτοῖς ἐκ τῶν αἰκῶν καὶ ἐκ τῶν χαλκῶν τῶν ἐκτον. Et dixit
ipsis, si bonum vobis videtur, in conspectu vestro, date mercedem
mibi, vel denegate, & constitueunt mer. eadem meam triginta
argenteos; & dixit Dominus ad me: Pone eos ad statuatum,
& videbo, an probatum sit, sicut ab illis probatum est, & ac-
cepi triginta argenteos, & proieci eos in domum Domini ad
statuatum.

Syrus interpres habet, & accepi דְּנֵשֶׁבֶת denesheth,
& eodem modo, dedi. Pro appreciauerunt habet
עֶרְכִּי ketfu, pacti sunt.

Non tamen repugnat Prophetia & Euangelium.
Nam Matthæus Prophetiam expletam refert, ideo
sensum eius interpretatur. Nam Prophetia sustinet
personam Iudæ, qui precium accepit, & proiecit ad
statuarium in templum. Illa autem verba; sicut con-
stituit mihi Dominus, in veteri testamento non sunt.
Videatur & Hieronymus de optimo genere inter-
pretandi, & Origenes in hæc verba, qui sumpta pa-
rat ex ἀγέμων Iudæorum monumentis seu traditio-
nibus: nam hæc verba difficulter sane accommo-
dantur. Vide Riberam nostrum in Zachariam, Lo-
cum porto vniversum Christo hunc in modum ac-
commodant. Queritur Dominus se Isaac esse
pastorem, sed cum gregem parum proficere videret,
quasi indignatus irritum impendi laborem in-
gratis, frangi imperat iugam, seu pastorale pedum
quo factus, officio quasi renunciat: Tum vero ne
omnino deiciantur animis, mercedem postulat: ap-
pendunt autem triginta argenteos, sacrificia, & ceri-
monias legis Domino dependentes. Dominus vero
proijci in templum iubet ad statuarium, quasi dicat;
non egere se precio. Figulorum hoc esse, qui Deos
fabricantur, & precio vendunt. Hoc ergo precio
dominum Deum veteres Iudæi aestimant, & nunc
etiam Sacerdotum principes, quod Iudas proiecit in
templum, principes mittunt ad figulum. Discrimen
in eo duntaxat inuenitur, quod veteres illi pa-
storale officium Domini sui eā mercede pensarunt,
hi autem sanguinem Domini eo precio aestima-
runt.

VERSUS 11. 12. 13. 14.

Iesus autem stetit ante præsidem &
interrogauit eum præses dicens: Tu
es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus.

Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

QVÆSTIO I.

Cur Pilato nihil respondit?

§.1. Accusatur à multis, & de varijs criminibus; sed non reddit illi rationem ad vllum verbum, v. habet Syrus. Idq; licet staret ante præsidem nempe in aulam interiorem admissus. Ioan. 18. 29. Pilatus miratur vehementer. Nempe hominem innocentissimum, non coherentibus testimonijs falso accusatum. Deinde eloquentissimum, qui aduersarios hæcenis insigni constantia retuderat, sese deserere, nec responsum dare ad ea, quæ dilui, & confutari magis gloriâ poterant. Nam audita defensione absolue reum capiebat. ὁ δὲ αὐτὸν ἀπαλλάττειν ἀπολογούμενος, inquit Chrysost.

Silentium Christi patientiæ, & mansuetudinis erat documentum: ne solliciti simus, si ad regum tribunalia per calumnias tracti damnemur. Indigna subiectio erat filio Dei, ut ad improbi hominis tribunal filiteretur, sed nos eo modo Deo reconciliati, ne ab illo iudice damnemur. Tacebat igitur: nam calumniæ inanes, etiam nemine refutante, euanescebant. Tam bonæ causæ erat, ut ne auditum quidem reum absolueret iudex pronuntiaret. Efficax igitur silentium erat, ut docet Athanas. de passione & cruce. Μη κηρύσσει ὁ Χρὶς τὸ στυγερὸν ἀδελφὸν ἡσυχαστὸν τῶν ἰουδαίων ὁ κατ' αὐτὸν φθονὸν κηρύσσει, ὅτι αὐτὸν οὐδὲν λαθεῖν οὐτως ἡδυνήθη, καὶ πάλαι ὁ Χρὶς τὸ στυγερὸν μαρτύρησεν τὸ αἰσίων καὶ κατὰ τὸν δὲ ἰουδαίων τὴν ἐπίβλην ἐξήγειρεν. Si iudicium Domini non fuisset, in cruce fuisset Iudæorum inuidia. Postquam autem conlemnatus est, lateri neminem potuit. Pilatus quidem eius innocentiam, & puritatem, & insidias Iudæorum testatur est.

Et Chrysost. in hunc locum, ὁ δὲ ὅτι ἔχον ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν καὶ τὸν στυγερὸν, ἀλλ' ἡ λέξις οὐ κατὰ τὸν αὐτὸν, διὰ τὴν τῶν δικαιοκρατῶν περὶ αὐτοῦ, καὶ στυγερὸν αὐτὸς μὲν λέγειας καὶ μαρτυρούμενος. Nihil enim habebant prorsus, quod etiam aduersus silentem uincerent: sed cum iustitiæ illius etiam silentis redarguebatur, ita & tacendo dicacitatem atq; furorē illorum superabat.

§.2. Nec dubito tamen quin excelsa & heroica fortitudine Christus silentio accusationes discusserit, quod indignum iudicari professis sycophantiis se opponere. τῶν ἐγκαλόντων, inquit Theophylactus, ὁ στυγερὸς. Accusatores contempsit. Ut olim Scipio cum accusaretur; Hodie, inquit, vici Hannibalem. & comitatus auditorio in capitulum ascendit, indignatus cum illis litigare, quos seruauit. Quanto magis rex noster mendaciâ contemnere debuit?

Causa etiam tacendi erat, iudicis & accusatorum prauitas. Ita etiam Theophylactus. ἄλλο μὲν ἔδεν ἀπεκρίναται, ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν καὶ τὸν στυγερὸν. Aliud non respondit, vidit enim in excelsa ratione iudicium non exerceri. Si multis & efficacibus se argumentis Dominus

Adami Cenzon in Euang. Tom. I.

purgasset, innocentia suæ dignitatem potius imminuisset; cum enim Pilatus tandem minis adactus in mortem traditurus esset innocentem, sacerdotum Principes, quasi victoriâ potiti, etiam contra eius innocentiam triumphassent, quasi operose se defendens, nulla eloquentia causam suam probare iudici potuerit. Nunc silentem Iudex absoluit, quamuis re ipsa condemneret. Itaque Dominus etiam tacuit, satis dixit.

QVÆSTIO II.

Quomodo Rex fuerit?

§.1. A Lia à Iudæis obiecta crimina, tanquam friuola, & manifestè falsa, aure sua da Pilatus præterit. Crimen affectati regni examinat, tum quia ingens & periculosum, præsertim Tiberij imperio erat: tum quia speciem habebat, sequentibus Christum turbis, & ante dies paucos effusa ad eum venientem tota vrbe, & acclamante veluti regi.

Nec tamen in eo regni affectati vlla indicia reperiebat. Non clandestina consilia, non arma, non milites, non opes acervata. Itaque nec hanc rem Pilatus vrget, nec eum creditur, sed cum dicerent: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: metu calumniæ damnauit innocentem.

§.2. Christus sacerdos in æternum spiritualem potestatem habuit, Matth. 28. Data est mihi omnis potestas. Sic Ioan. 21. Ephes. 4. 1. Cor. 12. 2. Cor. 13. & Luc. 22. & Ioan. 20.

Regnum igitur summum spirituale, maximumq; dominium in animas & corpora ex ea potestate habuit. Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem sanctum eius. Psal. 2. Et posui a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Sic Illa. 9. Ezech. 21. & 34. Huic potestati fuit etiam diuina plenissima omnium rerum, & causarum temporalium potestas. Hinc mandata & leges ab eo lata, & à Pauli tribunal inter Christianos erectum. Verè itaq; rex Iudæorum fuit, quamuis Dominatu regio vsus non fuerit, ne si Rempublicam attigisset, ambitionis, & tyrannidis suspicionem de se præberet. Moses Deut. 18. regiam eius potestatem indicat, c. 18. & Luc. 1. Promittitur illi sedes Davidis patris eius, non tantum spiritalis, sed etiam temporalis. Neq; enim pars regni Davidici, sed plena & absolutissima iurisdicctio Christo collata est. Regnum igitur absolutum in orbem terrarum habet, & per reges, & ministros suos exercet. Negat tamen regnum suum esse de hoc mundo, hoc est, esse tale, quale est Regum huius mundi, ut alios Reges excludant, cum metu teneant, vi & armis propugnent, & propagent.

VERSVS 15. 16. 17. 18. &c.

Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent, habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.